



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLIII. Grauissimè ægrota visa S. Ignatij sanatur anno 1598.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

XLI.
Ex lapſu mo-
riturus san-
tur anno
1600.

Michaël Hokolzerus in Collegio Salliensi æditius campanariæ turris ex culmine in præceps ruit, & mirum tam alto allisū non fuisse subito extintum: attrito tamen grauiter corpore, capite saucio, & emortuis sensibus in proximum lectum coniicitur. Chirurgi, ut caput hiare conspiciunt tot, ac tam lethalibus fracturis, & ex valido afflicti cerebri recusū conuelli hominem sæpius, plusque vicies breuissimo tempore epilepticis affectibus corripi, vitam illico desperant. Sacro itaque oleo vngitur, magisque de mortis quām vitæ præsidii illi prospicitur. Succurrit nihilominus Patri cuidam, ut S. Ignatio illum commendaret, cuius effigie capitū iacentis pie imposita, cum domo vniuersa quæ tanquam morituro suis precebus aderat, eum à S. Ignatio petit, fuitque illico rata petitio. Redit sensuum usus, monetur sanctum inuocare; interrogatur num eius imaginem agnoscat? Ego vero, inquit, hanc probè agnosco, sed alia specie, ac multo illustrius illum vidi. Quonam autem modo tametsi nescitur, at scitur quamprimum valuisse, nulloque in posterum ruinæ illius sensu solita ministeria integrasse.

XLIII.
Grauissimè
egrota visa
S. Ignatij sa-
natur anno
1598.

Reffredam Flosam Duaci in Belgio natam, morbi diurnitas vix iam curabilem fecerat; cumque indormisset, duos videt in somnis Societatis cultu Sacerdotes, quorum alterum satis norat Maximilianum Capellum, quo dum is viueret, à confessionibus vfa erat; alterum quis esset ignorabat. Maximilianus accedens proprius, vides, ait, istum qui mecum hoc venit, is est Pater Ignatius, proin si quid est quod à Deo velis, illo vtore precatore, certoque, quid vis impetrabis? Hic virgo pridem S. Ignatio imprimitis addicta, respondit se tantum optare temporis, quantum ad componendum negotium sat foret, quod alioqui se tunc moriente pessum ibat. Quæ dum diceret attendebat defixis oculis, ecquid optatis Sanctus annueret. At is placido vultu, & silens annuit, manuque bene adprecatus abcessit. Excitata Virgo talique somnio mirè læta, multo effusius gauisa est cum se voti compotem aduertit, lecto enim surgens inopino conspectu familiares territauit; quoad recensita miraculi serie, cum iis Deo & S. Ignatio laudes meritas persoluit: ipsa non modo conualescens, sed primis viribus fedonata, domesticas operas repetiit.

XLIV.
Nauis mani-
festo naufrar-
gio eripitur.
anno 1601.

Soluerat nauis S. Thomæ Philippinas versus magno militum, & vectorum numero, inter quos nonnulli è Societate. Post duorum, & sexaginta dierum nauigationem, comparet terra quam arbitrati sunt nautæ caput spiritus sancti esse. Hanc tempus obortis nebulis per obscurum oculis eripit; inde mari torrente in incertum abrepti, deferuntur in locum scopulis, præterquam à puppi circumseptum, ex quibus nauis, duabus iisdem quæ le induerat fauibus, nulla velorum, & venti dispensatione, eximi potuit, pertinaci aura semper in scopulos ad certum naufragium repellente. Nox inter haec ingruens, in anchoris, ad metum; in votis ad Deum exigitur, iamque illuxerat, cum tempestatis aucta violentia proximum exirium indicebat. Quare datur tormento signum ad reuocandum nauigium quod plagæ explo-
randæ